



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 3. Quid & quale est peccatum infirmitatis & malitiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

ensionem affectûs. Ita *S. Thom. a 6.* inde inferens: & sic verum est, quod quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentia peccat, taniò magis peccat.

Q. 3. Quid, & quale est peccatum infirmitatis, & malitia?

Resp. I. Peccatum ex infirmitate est illud, quod procedit ex passione antecedente, seu quæ non est voluntaria in se, nec in causa, puta in prava consuetudine efficaciter non retractata, nec tamen tollit libertatem. Peccatum ex malitia est illud, quod fit ex pura libertate: sive quod neque ex ignorantia indirectè tantùm volita, neque ex passione antecedente committitur, sed ex mera electione voluntatis: & sic nihil habet, quo minuatur ejus malitia. Unde peccatum procedens ex ignorantia affectata, vel ex passione liberè excitata, est etiam peccatum ex malitia, aut ei æquivalet; cum ejus prima radix sit sola prava voluntas, quæ passionem, vel ignorantiam procurat, nec minuit libertatem.

Resp. II. Peccatum ex infirmitate, seu passione ex suo genere gravius est, quàm peccatum ex ignorantia non affectata. Quia talis ignorantia minuit liberum, & voluntarium: at passio antecedens minuit quidem liberum, sed auget voluntarium, nam auget voluntatis intensionem, ac co-

natum. Omnium verò, cæteris paribus, ex suo genere gravissimum est peccatum ex malitia, quia omnium maximè voluntarium, & liberum est.

Q 4. An peccata commissa ex prava consuetudine, quam quis emendare non curat, æquivalent peccatis malitiæ?

Resp. Aff. Ita S. Thom. 1. 2. q. 78. a. 2. ibi: manifestum est, quòd quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia. Quia peccans ex habitu peccat ex majore inclinatione, & intensione voluntatis; nam (ut ait S. Thom.) habitus vertitur in naturam. Nec consuetudo tollit deliberationem saltem citam, quæ sicuti ad rectè agendum, ita ad actu peccandum sufficit, licèt sit imperceptibilis, ob facilitatem, & promptitudinem agendi; ut patet in homine assueto ad amandum Deum, qui audito ejus nomine statim prorumpit in amorem ex cita deliberatione, ut notat Suarez. Et quamvis peccaret ex minus perfecta deliberatione, hoc tamen non minuit ejus malitiam: quia defectus ille est ei voluntarius in causa, nempe in consuetudine non retractata efficaciter, & in negligentia illam tollendi. Quàm stultè igitur aliqui conantur excusare sua peccata, sed quòd ex pravo habitu orientur; cum
inde